

## Ordo A

Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum, nec illum qui viduam vel repudiatam vel meretricem in matrimonio sumpsit, nec eum qui semetipsum quolibet corporis sui membro indignacione aliqua vel iusto vel iniusto timore superatus truncaverit, neque illum qui usuras accepisse convincitur aut in scena lusisse dinoscitur, neque illum qui publica presencia mortalia crimina deflet, neque eum qui per ambitionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam offert, neque illum qui aliquando in furiam versus insaniavit, vel afflictione diaboli vexatus est.

Augustinus de diffinitionibus.

## Ordo B

Ne hi qui ordinati sunt pereant provideri debet quales ordinentur, ut aspiciatur si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium lectionis, si elemosyne amorem habuerunt.

Gregorius in registro.

## Ordo C

Nullus debet ad altare accedere nisi cuius castitas ante susceptum misterium fuerit approbata.

Gregorius in registro.

## Ordo D

Agnoscat unusquisque ordinem suum et quid dignum sit eo ordine quem suscipit intelligat et ita libret actus suos, ita est sermonem incessum quoque et habitum moderet ut cum ordinis sui professione conveniat ne audiat dici ad se a Deo quia propter vos blasphematur nomen meum inter gentes.

Origenes super Leviticum.